Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 24 (153)

Jo. Bap.

In Christi nomine amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo quingentesimo vigesimo quinto, indictione tertiadecima, die sabbati vigesimo secundo mensis aprilis, in sacristia monasterii Sancti Cataldi suburbiorum Cremone, presentibus pro [?] domino notario Antonio de Bergontiis notario de Cremona et se hinc subscripturo ad confirmandum subscripturo, et presentibus Francischino de Casarotis filio quondam Jacobi, Ludovico de Locadellis filio Philippi, ambobus habitatoribus loci Casalis [?] et Abrase [?] et Zanetto de Pelizariis filio quondam domini presbiteri Johannis Sancti Victoris diocesis Cremonensis et vicinie Sancte [?] Cremone, omnibus testibus ... notis et idoneis ibi ad hec adhibitis vocatis specialiter et rogatis et qui ibi dixerunt se cognoscere infrascriptos contrahentes meque notarium infrascriptum. Convocato et more solito congregato in loco predicto capitulo venerabilium dominorum prioris et fratrum monasterii Sancti Cataldi suburbiorum Cremone ordinis Servorum beate Virginis Marie de Observantia, sono campane premisso ut moris est, de mandato venerabilis domini fratris Basilii de Cotardis de Cotonico [?] prioris de presenti dicti monasterii, in quo quidem loco soliti sunt congregari et congregantur pro negotiis dicti monasterii peragendis et pertractandis, et in quo loco erant congregati infrascripti, videlicet dominus frater Basilius prior antedictus, frater Marsilius [?] de Carenzonibus vicarius, frater Daniel de Casalimaiori, frater Genesius de Brugnolo, frater Thomas de Marzolis [?], frater Maximinus de Cocalio [?] et frater Antonius de Casalimaiori, omnes fratres professi dicti monasterii et ordinis et residentes in dicto monasterio, asserentes prius et protestantes se esse duas partes et ultra trium partium fratrum professorum et residentium in dicto monasterio et se esse facere et representare totum capitulum dicti monasterii, volentes ne attribuere valeant et quod veritas talis non sit et ne venient contra has confessiones et renunciationes omnique alii exceptioni doli mali, vi, metus, erroris, deceptionis et in factum actioni, cuique probationi et defensioni in contrarium; predicti itaque domini prior et fratres in communi concordia et nemine discrepante nomine et vice dicti eorum capituli et conventus et alio omni meliori modo, via, forma, iure et causa quibus magis et melius ac plus melius potuerunt et possunt, dictique prior et fratres potuerunt, concesserunt et locaverunt usque ad et per quatuor annos proxime futuros inchoatos in calendis mensis ianuarii proxime preteriti Martino et Marsilio [?] fratribus de Domanicis [?] filiis quondam Nicolai habitatoribus loci Casenove de Murbasso diocesis Cremonensis ibi presentibus, stipulantibus, recipientibus ac conducentibus pro sese eorumque heredibus et quibus dederint, videlicet unum molendinum unum terraneum cum duabus rotis macinatoriis positum super Murbasso in loco Casenove de Murbasso diocesis Cremonensis iuris dicti monasterii, fulcitum cum omnibus molis, ferramentis, apparatibus et consimilibus aptis ad macinandum, cum iuribus aquarum labentium in et per dictum Murbassum prout est pro macinando ad dictum molendinum, cum casamento ante et retro dictum molendinum solito teneri per molinarios; Ita vero quod de cetero dicti fratres conductores eorumque heredes et quibus dederint habeant, teneant, gaudeant et possideant durante presenti locatione dictum molendinum cum iuribus aquarum et omnibus predictis ut locatum cum omnibus et singulis iuribus, actionibus et pertinentiis suis, et de eo faciant quicquid facere voluerint, una cum accessibus, ingressibus et egressibus cum superioribus et inferioribus suis sine alicuius contradictione, prout pactis, modis et conditionibus infrascriptis ac cum et sub eis, videlicet dando, reddendo et consignando [?]; et dicti fratres conductores per sese suosque heredes et per habentes et habituros ius et causam ab eis dare, reddere et consignare promiserunt dictis dominis priori et fratribus presentibus et recipientibus pro sese et successoribus suis in dicto monasterio pro ficto et ficti nomine dicti molendini et omnium ut supra locatorum sextarios centum nonaginta frumenti boni mercantabilis singulo anno presentis locationis modis et terminis infrascriptis, videlicet unam quartam partem singulis tribus mensibus in fine dictorum trium mensium, salvo quod pro mensibus aprilis, maii et iunii cuiuslibet anni presentis locationis dicti conductores teneantur et ita per sese suosque heredes et per se promiserunt dare singulo mense dictorum trium mensium in medio cuiuslibet mensis sextarios octo dicti frumenti et residuum ficti dictorum trium mensium in fine dicti mensis iunii; et ultra pro appendiciis porchum unum pensantem libras quindecim ad festum nativitatis domini et paria quinque caponum bonorum et pinguium ad festum omnium sanctorum, par unum anserum bonorum et pinguium ad festum predictum omnium sanctorum, omnia conducta per ipsos fratres conductores dictis locatoribus ad dictum eorum monasterium sumptibus et expensis dictorum conductorum, sub et in pena soldorum centum imperialium in quolibet termino non soluto et dupli totius damni et interesse inde habitorum et receptorum duplique omnium expensarum inde factarum; ita quod et omnia et singula ... eorum cum effectu peti possint et exigi totiens quotiens in aliquo contrafactum fuerit seu contraventum, ratis et firmis nihilominus semper manentibus omnibus et singulis in presenti instrumento contentis. Item cum pacto in hoc instrumento ac per et inter dictas partes apposito et inserto, sollemni stipulatione promisso vallato, quod dicti conductores teneantur et obligati sint ac debeant macinare dictis dominis priori et fratribus totam illam quantitatem frumenti quam dicti domini prior et fratres ac successores sui in dicto monasterio edent et consument durante presenti locatione pro eorum et familie sue victu ad dictum molendinum locatum ut supra, et macinatam conducere ad dictum monasterium, et hoc gratis et sine aliqua solutione vel molatura. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod dicti domini prior et fratres et successores sui ... pro portione sua teneantur ad examinationem et mundationem dicti Murbassi. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod dicti domini prior et fratres teneantur pro una vice tantum durante presenti locatione fieri facere arzinos necessarios dicti molendini. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod dicti domini prior et fratres teneantur et debeant manutenere dictum molendinum fulcitum molis, ferramentis et aliis apparatibus necessariis ad macinandum durante presenti locatione, et in fine ipsi conductores debeant restituere et relaxare dictis locatoribus dictum molendinum bene fulcitum ut supra. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod dicti locatores teneantur et debeant fieri facere in primo anno in casamento dicti molendini unum furnum [?] dictorum locatorum propriis expensis. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra, respectu exemptionum quas dictum monasterium habet pro massariis, braccentibus, famulis, molinariis et laboratoribus suis, modo ipse exemptiones observentur per principes et superiores, dicti locatores debeant providere et curare cum effectu ut dicti conductores sint [non] deterioris conditionis aliis ... Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod respectu belli seu metus eius, inundationum aquarum, epidimie ac siccitatis et carentie aquarum, ita quod non possint macinare ad dictum molendinum, dicti locatores in aliquo non teneantur, si vero dicti conductores pro quindecim diebus quibus predicta evenerint seu aliquid predictorum evenerit et a dicto tempore supra, dicti locatores pro eo tempore quo dicti conductores non poterunt gaudere dicto molendino et ad illud macinare debeant remittere dictis conductoribus fictum ad ratam temporis predicti. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod quotiensque dicti locatores voluerint casamentum predictum existens retro dictum molendinum, dicti conductores debeant illud sibi relaxare, modo sibi dentur tot terre ex pratis ibi vicinis in equalentia et quantitate terreni dicti casamenti. Item cum hoc alio pacto apposito et inserto ut supra quod dicti conductores teneantur et debeant dare dictis locatoribus ad omnem eorum requisitionem presens instrumentum sumptum in publica forma sumptibus et expensis dictorum conductorum. Et confessi fuerunt et manifestaverunt ibi dicti fratres conductores ad interrogationem et instantiam dictorum dominorum prioris et fratrum stipulantium et recipientium ut supra sese habere dictum molendinum cum omnibus predictis ut supra locatum et in eius possessione seu detentatione esse et id tenere et possidere seu detinere nomine dictorum dominorum prioris et fratrum ac vigore et virtute presentis [locationis], ne attribuere valeant et quod veritas talis non sit et ne venient contra has confessiones et renunciationes omnique alii exceptioni presenti [?]. Quod quidem molendinum cum omnibus ut supra locatis dicti fratres conductores per sese suosque heredes et per habentes et habituros ius et causam ab eis, finita presenti locatione, convenerunt et promiserunt dictis dominis priori et fratribus presentibus et recipientibus ut supra eisdem dominis priori et fratribus seu eorum successoribus in dicto monasterio ut supra restituere et relaxare potius melioratum quam deterioratum et in bono statu et ordine more cuiuslibet boni habitatoris [?]. Et salvis predictis dicti domini prior et fratres convenerunt et promiserunt per sese suosque successores in eorum monasterio ut supra dictis fratribus conductoribus stipulantibus ut supra eisdem fratribus eorumque heredibus et ut supra dictum molendinum cum omnibus predictis ut supra locatis et eius possessionem presenti locatione durante deffendere et disbrigare in placito et extra placitum ab omni persona tam ecclesiastica quam seculari, comuni, collegio, capitulo, consortio et universitate expensis propriis dicti eorum monasterii, sub et in pena dupli omnium damnorum, interesse et expensarum ut supra ... Et ex pacto pro predictis omnibus et singulis sic firmiter attendendis et observandis dicte partes sibi vicissim stipulantes et recipientes ut supra omnia bona presentia et futura, videlicet dicti domini prior et fratres bona dicti eorum monasterii et dicti conductores sua, pignori et hypothece obligaverunt, que sese vicissitudinario nomine, videlicet una pars pro altera et altera pro altera, interrogantes ac stipulantes et recipientes ut supra possidere seu quasi constituerunt. Iuraverunt quoque insuper ibi dicti fratres conductores ad sancta dei evangelia tactis scripturis corporaliter in manibus mei notarii infrascripti deferentis predicta omnia et singula sic ut supra scripta et contenta vera esse eaque sese semper et omni tempore firma, rata et grata habere et tenere ac attendere et observare prout unumquemque eorum tangit et tanget singulariter et debite semper refferendo, et non contrafacere nec contravenire auxilio alicuius legis nec beneficio alicuius decreti vel statuti facti vel fiendi nec aliquo alio modo, ingenio, iure, causa, occasione vel eventu, omisso [?] predictorum dominorum prioris et fratrum de voluntate contrahentium.

A B

Ego Antonius de Bergontiis civis Cremone publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius ac notarius collegiatus collegii civitatis Cremone [?] interfui et ad confirmandum pro suprascripto notario rogatus me subscripsi.

Jo. Mar.

Ego Jo. Maria Aribertus civis Cremone publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius ac notarius collegiatus dicte civitatis predicto instrumento interfui et hanc cartam rogatus tradidi, tenentiam et imbreviaturam ipsius aliis intendendam, complendam, scribendam et in hanc publicam instrumenti formam redigendam, aliis occupatus, dedi et commisi infrascripto Jo. Baptiste de Regio civi et notario ut infra, et ideo in fidem premissorum rogatus me subscripsi.

Jo. Bap.

Ego Jo. Baptista de Regio civis Cremone publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius notariusque collegiatus collegii Cremone hanc cartam rogatam, tractatam et imbreviatam per prefatum d. Jo. Mariam Aribertum patrem civem et notarium ut supra de eius commissione, voluntate et iussu extraxi, complevi, scripsi et in hanc publicam instrumenti formam redegi et in premissorum fidem me subscripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1881523446-10/fragment/page=0001

1525
K 81

1525 22/IV

Morbio 25 (153)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1881523446-10/fragment/page=0002